



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 141. Principum Conventus Rothomagensis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1453.

xit, comprehenso quoque pago Tigurino, qui a tractatu Anno millesimo quadringentesimo quadragésimo quarto inito exclusus erat, eo quod illo tempore adversus reliquas Helvetiæ tribus cum Duce Austriaco amicitiae vinculo junctus esset. P. Aionis hujus capita non equidem mutuum defensionis, atque offensionis necessitatem imponebant, sed Helvetii duntaxat fidem dabant, se cunctis Franciæ inimicis per omnes eorum pagos transitum interclusuros, Gallis vero liberam negotiandi, ac transeundi facultatem concessuros. Rex vero pro se suisque successoribus pollicebatur, se nunquam Helvetiæ hostibus opem laturum, nec subditis suis, ut contra ipsos arma sumerent, permissurum; de cetero autem eisdem omnem commercii, & aditus libertatem ad totum Franciæ regnum concessurum.

§. CXLI.

Principum Conventus Ratisbonensis.

Cum Nicolaus Papa iteratis precibus cunctos Christiani orbis Monarchas ad reprimendos Turcarum successus sollicitaret, Germaniæ Principes ex mandato Friderici Cæsaris Ratisbonæ ad Danubium convenerunt, ut ibidem de bello sacro tractantes summo Pontifici satisfacerent, rebusque propriis melius prospice-

spicerent; quippe Mahometis potentia, Sæcul. XV.
utpote hostis adeo vicini, communem o- A. C. 1454.
mnium occupabat sollicitudinem. Ad-
fuit quoque Philippus Burgundiæ Dux,
domitis Gandavensibus otium nactus;
Cæsar vero, quamvis spem fecisset sui ad-
ventus, in Austria permansit, bello Hun-
garico implicitus: duos tamen Barones,
totidemque Episcopos, scilicet Ulricum,
& Æneam Sylvium præter Nicolaum
Cardinalem S. Petri ablegavit. A Nico-
lao Pontifice missus est Joannes Episco-
pus Papiensis, per quem Papa in tantis
angustiis Christianæ Religionis adeo fu-
nestis omnem opem, & operam offerebat.
Æneas in primo confessu ad Principes
orationem habuit tanta verborum gravi-
tate, ut nullus omnino fuerit, qui non ex-
peditionem in Turcas adornandam cen-
seret. Ceterum inter omnes zelo fidei
eminuit Burgundiæ Dux, qui præter fa-
cultates vitam quoque ipsam expositu-
rum se ajebat, si modo Princeps alius ad
bella gerenda idoneus, cui comes esse
posset, itineri sese accingeret. Placuit
insuper exquirere auxilia Francorum, &
Italorum, quorum isti Equitum phalan-
ges mitterent, hi vero validam classem,
quam ceteroquin nullo ferme negotio in-
struere valerent. Decernebatur postea
alius Conventus apud Francofordiam ad
diem vigesimam nonam Septembris co-
gendus,

Sæcul. XV. gendus, in quo delectus militum fieret,
 A C. 1454. & ad alendas copias necessariæ perquire-
 rentur expensæ.

§. CXLII.

*Burgundiæ Dux minus liberaliter
 habitus ab Imperatore.*

*Æn. Sylv.
 epist. 162.*

Et comm. 1.2.

Scriptorum nonnulli, quemadmodum
 zelum ac magnanimitatem Ducis Bur-
 gundiæ pluribus deprædicant, ita Im-
 peratorem suggillare non dubitant, cum
 expensarum metu a bello in Turcas mo-
 vendo abstinendum censeret; cuius ava-
 ritia (*) eo manifestius apparuit, cum
 Philippum Burgundiæ Ducem ad sua re-
 deuntem excipere recusaret, missis in e-
 jus occursum, qui Cæsarem infirmitate
 detentum nuntiarent, ubi vel ideo mor-
 bum obtendisse videtur, ut sumptibus
 pro recipiendo tanto Principe tam-
 que liberali atque magnifico, qualis erat
 Burgundiæ Dux, parceret. Ceterum
 Philip-

(*) *Avarum ne dixeris, qui, ut necessariis
 provideat, superflua refecat; quam gravibus
 bellis Fridericus domi forisque oppressus fue-
 rit, in Austriacis Annalibus peregrinus sit, qui
 nesciat. Excusabilis igitur est Fridericus ab
 hoc tenacitatis vitio; si forte adfuit. Maluit
 enim parcus videri, quam populi sui sumptibus
 in ejusmodi solemnitatibus magnificus haberi.*